Alb. Roth D.
dono
a
Cel. D. Roemer
1798.

RELIQVIÆ HOUSTOUNIANÆ

SEV

PLANTARVM

IN

AMERICA MERIDIONALI

Gray

A

GULIELMO HOUSTOUN

M. D. R. S. S.

COLLECTARVM

ICONES

MANV PROPRIA AERE INCISAE;

CVM

DESCRIPTIONIBVS

E SCHEDIS EIVSDEM

IN BIBLIOTHECA

IOSEPHI BANCKS,

BARONETI R. S. P.

ASSERVATIS.

IVXTA EXEMPLAR LONDINENSE.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA.

NORIMBERGÆ,

EX OFFICINA RASPEANA.

MDCCXCIV.

RELIQVIÆ
HOUSTOUNIANÆ.

Tab. I.

IUSTICIA a).

Est plantae genus, flore A monopetalo, anomalo, in duo labia profunde ſecto, quorum utrumque integrum eſt, ſuperius vero fornicatum. Flori ſuccedit fructus B lanceiformis ſed inverſus, unicapſularis, et in ſingulis capſulis continens ſemina plura, compreſſa.

a) Iuſticia ſcorpioides *Linn.*

Tab. 2.

KAEMPFERA a).

Eſt plantae genus flore A monopetalo, anomalo, et in quinque partes ad marginem diviſo; cui ſuccedit fructus B oſſeus in quatuor loculamenta diviſus.

Tab. 3.

BVDDLEIA b).

Eſt plantae genus, flore A monopetalo, campaniformi, et quadrifido; embryone inſtructo, qui deinde fit fructus B oblongus, bicapſularis, pluribus (exiguis) ſeminibus foetus.

Tab. 4.

RANDIA c).

Eſt Plantae genus, flore A monopetalo, inferne tubulato, ſuperne expanſo, et

a) Verbena curaſſavica *Linn.*

b) Buddlea americana *Linn.*

c) Randia mitis *Linn.*

et in quinque (plerumque) ſegmenta diviſo; cui fructus B ſuccedit unicapſularis (ovatus), ſub cortice duriore et quodammodo fragili multa ſemina continens, cartilaginea, compreſſa, et pulpa quadam circumdata.

Tab. 5.

AMMANIA [a]).

Eſt plantae genus, flore A tetrapetalo regulari (vel roſaceo); cui ſuccedit vaſculum ſeminale B ſubrotundum, in quatuor loculamenta diviſum, pluribus ſeminibus foeta.

Tab. 6 [b]).

Eſt plantae genus, flore A B monopetalo regulari, infra tubulato, ſupra expanſo

a) Ammania latifolia *Linn.*

b) Cordia Geraſchantus *Linn.*

ſo et in quinque ſegmenta diviſo. Florem vero perfodit ſtylus, ad cuius radicem haeret embryo C, qui deinde fit fructus D E monococcus, calice incluſus.

Tab. 7.

GRONOVIA [a]).

Eſt plantae genus, flore A polypetalo roſaceo, embryoni B inſidente, qui deinde fit ſemen C unicum, nudum et alatum.

Tab. 8.

MICHELIA.

Eſt plantae genus flore A monopetalo, anomalo, nudo, in ſex partes diviſo; cuius fundus, marceſcente reliquo, intumeſcit, et ſemen B recondit unicum, ſubrotundum.

Tab.

a) Gronovia ſcandens *Linn.*

Tab. 9.

R I C A R D I A [a]).

Eſt plantae genus, flore A monopetalo, infundibuliformi, in ſex partes ad marginem ſecto; cui ſuccedit fructus B tribus conſtans ſeminibus nudis.

Tab. 10.

M A R T Y N I A [b]).

Eſt plantae genus, flore A monopetalo, anomalo, in duo veluti labia ſciſſo, quorum ſuperius bifidum eſt et ſurrectum, inferius vero tripartitum, ſegmento medio majore. Fructus B membrana coriacea tegitur, intus vero eſt oſſiculum C D, quatuor ſeminibus foetum.

Tab.

a) Richardia ſcabra *Linn.*

b) Martynia annua *Linn.*

Tab. 11.

PETREA [a]).

Eſt plantae genus, flore A monopetalo, anomalo, inferne tubulato, ſuperne expanſo, et in quinque ſegmenta fere aequalia diviſo. Embryo autem fit fructus B quatuor conſtans ſiliculis.

Flos huius plantae abſolute loquendo anomalus eſt, ad regularitatem tamen proxime accedit. Unicam ejus vidi ſpeciem, cujus flores caerulei, caeruleis calicibus contenti, et in longos racemos diſpoſiti, gratiſſimo ſpectaculo dependebant. Semina etiam ſingula elegantiſſime fimbriata membrana involvuntur.

Tab.

c) Petrea volubilis *Linn.* Fructus vero Tetracerae, vide *Linnaei genera plantarum edit. I. p.* 347.

Tab. 12.

L I P P I A[a]).

Eſt plantae genus, flore A monopetalo, anomalo, in quatuor partes diviſo; et embryoni inſidente, qui deinde fit fructus B, duobus ſeminibus C conſtans, inter ſe cohaerentibus D E, et vaſculo incluſis.

Tab. 13.

D O V G L A S S I A[b]).

Eſt plantae genus, flore A monopetalo, anomalo, infra tubulato, ſupra expanſo et in quinque ſegmenta diviſo, aequalia quidem at non aequalibus intervallis diſpoſita, hiatus etenim ab altera parte relinquitur, quo verſus recurvantur tubus et ſtamina. Fructus B C autem, qui ſubrotundus eſt, in duas partes dividitur, quarum utraque oſſiculum

a) Lippia americana *Linn.*

b) Volkameria aculeata *Linn.*

culum continet, duobus ſeminibus foetum, totidem cavitatibus contentis.

Tab. 14.

G V A Z V M A [a]).

Eſt plantae genus, flore A pentapetalo, regulari; fructuque E F G ſicco, quinque capſulari, in ſingulis loculis multa ſemina continente.

Tab. 15.

I V S S I E V I A [b]).

Eſt plantae genus, flore maſculino, in eadem planta a feminino remoto; cujus flos maſculinus A monopetalus eſt et infundibuliformis; femininus B vero polypetalus et roſaceus, embryone C inſtructus, qui deinde fit fructus D tricoccus, a Ricini fructu non diſtinguendus.

Tab.

a) Theobroma Guazuma *Linn.*

b) Jatropha herbacea *Linn.*

Tab. 16.

ALOE Americana, arboribus innaſcens; foliis latis, membranaceis, ad margines ſpinoſis.

Arborum truncis et grandioribus ramis innaſcitur haec planta, multa et fibroſa *radice* firmata. *Folia* ejus in orbem diſponuntur, ſeſquipedem vel binos pedes longa, quatuor pollices lata, carinata; ſed membranacea, et penitus exſucca, ad margines validis armantur ſpinis, recta extrorſum tendentibus, caetera laevia, ad extrema fere latitudinem ſuam conſervant, ſed tandem recurvantur et in mucronem abeunt. *Scapus* e medio foliorum aſſurgit, quatuor vel quinque pedes altus, in ſummitate ſpicam principem ferens, inferius vero alias laterales et minores. *Flores* tribus conſtant petalis exiguis, e viridi flaveſcentibus, et ſex *ſtaminibus*, cum ſuis apicibus, quorum medium occupat ſtylus. Haec autem omnia fere teguntur *calice* triphyllo, firmo

et connivente. *Embryo* flori ſubeſt, et fit *fructus* exiguus tricapſularis.

Florum propter parvitatem et colorem vireſcentem, exigua eſt pulchritudo, praecipuum vero plantae ornamentum ſunt ſpecioſa quaedam folia, unciam lata et octo circiter longa, coloris coccinei, quae ſub ſingulis ſcapi ramis prodeunt et praetereuntium oculos attrahunt.

Naſcitur prope Veram Crucem.

Tab. 17.

CASSIA Americana tetraphylla [a]).

Naſcitur prope Veram Crucem.

Tab.

a) *Herbar. Amman. in Muſeo Petropolit. Vol. II. p.* 101. *n.* 6. Caſſia fruticoſa *Mill. Dict.*

In ſchedis Houſtounianis nulla huius plantae adeſt deſcriptio.

Tab. 18.

ASTER Americanus, foliis pinnatis et ſerratis, floribus aurantiis a).

Caules ſunt herbacei, ſexangulares, et glabri; in quibus *folia* naſcuntur conjugata, compoſita et glabra, binis plerumque conſtantia pinnarum paribus, unaque impari extremum claudente; hae vero oblongae ſunt, acuminatae et ſerratae. In ſingulis ramulorum ſummitatibus *flos* oritur unicus, radiatus, aurantii coloris, Tagetis flori ſimilis, et *calice* contentus, plurimis acutis ſquamulis compoſito. Tota vero planta Tageti eſt ſimillima, ejusque ſpecies eſſet cenſenda, niſi obſtaret ſemen, quod non alatum eſt, et pappo ſimplici et ſeſſili inſtructum.

Iuxta viam publicam legi, prope Veram Crucem antiquam, menſe Martio flores ferentem, ut et ſemen, ſed nondum penitus

a) Aſter aurantius *Linn.*

tus maturum. Magnitudo ſingularum partium tertia circiter parte major eſt, quam quae in figura exprimitur.

Tab. 19.

ASTER. Saturejae foliis, conjugatis et piloſis, flore luteo [a]).

Caules habet firmos et lignoſos, quales ſuffruticum eſſe ſolent, unde perennis videtur planta. E caulibus multi oriuntur *ramuli*, tenues, teretes et brevi lanugine pubeſcentes. Dimidii pollicis intervallo folia naſcuntur anguſta, oblonga, firma, Saturejae foliis ſimilia, conjugatim appoſita, et pediculis deſtituta. Ad oras prope baſin oriuntur quidam pili longi et rigidi, unusque impar e mucrone; caetera glabra ſunt. Si vero averſam partem ſpectes, nigris punctis videtur notata, et lumini obiicias, toti-

a) Inula ſaturejaoides *Mill. Dict.*

totidem apparent foramina. Summi ramuli nudi ſunt, vel minimis quibusdam ligulis ornati, ſuſtinentque ſinguli *florem* unicum radiatum luteum; cujus *calix* unico conſtat Squamarum ordine. Marceſcente flore, *ſemina* ſuccedunt oblonga, nigricantia, pappo ſimplici et ſeſſili inſtructa.

Naſcitur prope Veram Crucem in collibus arenoſis et caeſpitoſis, a mari paululum remotis. Singularium partium magnitudo naturalis in figura exprimitur.

Tab. 20.

CHRYSANTHEMVM Americanum, humile; Origani folio, flore luteo [a]).

E *radice* fibroſa, plures oriuntur *caules* teretes, tenues, herbacei et villoſi; humi primo procumbentes, dein ſurrecti. *Folia* in his naſcuntur, ſeſquiunciae plerumque intervallo, conjugata, Origani vel Ocymi

foliis

a) *Herbar. Amman. p.* 475. *n.* 12.

foliis ſimilia figura et magnitudine, averſa parte villoſa, et ut plurimum ſerrata. *Flores* ſummis inſident ramulis, ſolitarii, lutei, formae ut in congeneribus, et magnitudinis in figura expreſſae. Semina ſuccedunt exigua, compreſſa, nigricantia, ſed brevi et alba lanugine tecta.

Prevenit locis apricis et humidioribus prope Veram Crucem. Menſe autem Martio paſſim florebat et ſemen perficiebat.

Tab. 21.

CALTHA Americana, foliis laciniatis, flore luteo [a]).

Multi ab eadem radice oriuntur *caules*, teretes, herbacei, villoſi et humi procumbentes. *Folia* conjugatim naſcuntur, ſesquiunciam longa, unciam vero lata, in quinque lacinias plerumque diviſa, ſed interdum ludente natura integra, utrinque hirſuta,

a) Melampodium americanum *Linn.*

hirſuta, ſed praecipue averſa parte, ubi etiam ſunt incana. *Rami* ex alis foliorum oriuntur; *Flores* autem ſummis inſident ramulis. Horum forma congeneribus eſt ſimilis; color luteus; et magnitudo eadem quae in figura exhibetur. At *calix* ſimplex eſt, quinque conſtans ſegmentis latis, mucronatis, et hirſutis. Floſculi, ut in aliis Calthae ſpeciebus, ſunt ſteriles: ſemifloſculis vero ſuccedit corona *ſeminum* breviuſculorum, aſpero cortice tectorum.

Naſcitur prope Veram Crucem ſolo arenoſo, et praecipue praerupto. Menſe Martio 1731. florebat, et ſemen maturum ferebat.

Tab. 22.

RICINOIDES folio ſubrotundo, ſerrato; fructu parvo conglomerato.

Caules huic plantae teretes, herbacei, et hirſuti, plerumque erecti, non raro tamen

procumbentes. *Ramuli* nunc ſolitarii, nunc terni uel quaterni ſimul ex caulibus oriuntur. *Folia* ſubrotunda ſunt, pollicem lata, ſeſquipollicem longa, crenata, villoſa, pediculis ſemiuncialibus inſiſtentia, et incerto ordine poſita. In ſummis ramulis proveniunt parvae ſpicae *florum* A exiguorum, *maſculinorum* roſaceorum, alborum. Ad exortum vero harum ſpicarum, latent *flores feminini* B apetali, conſtante *embryone* ſubrotundo, *calice* quinquefido comprehenſo, et *tuba* inſtructo, in ſex filamenta alba diviſa. *Fructus* C D villoſus eſt, parvi piſi magnitudine, tria continens *ſemina*, pulchra ſplendentia et maculoſa. Tota planta pilis hirſuta eſt.

In ſabuletis humidioribus prope Veram Crucem *naſcitur*, et foliis plus minusve acuminatis variat.

Tab.

Tab. 23.

MIMOSA non ſpinoſa, paluſtris, et herbacea, procumbens; flore luteo pleno [a]).

Caules huic plantae teretes, herbacei, glabri, humi procumbentes, et ex ſingulis articulis radices agentes. *Folia* pinnata, decompoſita, conſtantia ternis vel quaternis alarum paribus; ſupra terrae ſuperficiem expanſa, ſed minimo attactu ſe contrahentia, et claudentia. Ex horum alis oriuntur *pediculi* erecti, quatuor vel quinque pollices alti et per longitudinem quibusdam ſquamis inſtructi; ſuſtinentes *capitula* ſpecioſa, lutea, fere globoſa, magnitudine, capitulorum trifolii pratenſis purpurei. In his ſunt *flores* varii, tam forma, quam natura et uſu, neutri tamen perfecte congeneribus ſimiles. Qui enim medium occupant, ſunt vere pentapetali, calicibus exiguis quinquefidis contenti, ſtaminibus longis pluribus inſtructi, et

 primo

a) Mimoſa plena. *Linn.*

primo aſpectu congeneribus quam ſimillimi. Qui vero in ambitu ſunt flores, calicem et petala habent ut in caeteris; ſed ſtaminum loco ſunt foliola oblonga, pulchra, aurea; non (ut in aliis floribus plenis dictis) veris petalis ſimilia, ſed illis multo ampliora et pulchriora; petala enim vera in hac planta exigua ſunt, et colore vireſcentia; falſa vero ampla, aurea, et pulchra. Flores pleni (ut in plurimis eiusdem farinae accidit) ſunt ſteriles; ſed ſimplicibus ſuccedunt, *ſiliquae* planae, glabrae; bivalves; *ſemina* continentes plura, nigra, lucida, et compreſſa. Aquis ſtagnantibus nonnunquam innatat; tumque caules habet materia quadam ſpongioſa tectos.

Naſcitur prope Veram Crucem.

Tab.

Tab. 24.

MIMOSA fructicosa, spinosa; siliquis latis, hirsutis et articulatis [a]).

Aeschynomene spinosa IV. sive foliolis Acaciae angustioribus, frondibus validissimas spinas habentibus. *Breyn Cent.* 43.

Multiplici plerumque assurgit *caule*, ad quinque vel sex pedum altitudinem pro ratione foecunditatis soli. *Caules* ramique lignosi sunt, et validissimis armantur, spinis, incerto ordine dispositis, albicantibus, recurvis, ad basin crassis et Rosarum spinis similibus. Surculi recentiores similibus horrent spinis, et insuper albicantibus vestiuntur pilis; ut et foliorum nervi, *Folia* autem in hac planta praecipue observatione digna sunt, namque ex nervo principi secundariorum nervorum intervallis, oriuntur sibi oppositae geminae spinae; supra descriptis satis similes, sed minores et neutiquam recurvae, angulos rectos cum nervo formantes,

 et

a) Mimosa asperata *Linn.*

et in eodem plano cum ſecundariis nervis conſiſtentes. E ſuperiori vero nervi parte, ab eadem origine qua nervi ſecundarii, oritur ſpina ſingularis, teres, praecedentibus gracilior, nervo non perpendicularis, ſed ei fere incumbens, mucrone verſus extremum eius protenſo. Pinnulae foliorum minimae ſunt (in hoc genere) et confertiſſimae, in mucronem abeuntes, ſupra virides, infra caneſcentes. *Flores* rubri ſunt, in globulos compacti, formaeque (in hoc genere) ſolitae. *Fructus* vero eſt ſiliqua compreſſa, et hirſuta; ita articulata, ut ſingulae articulationes ſingulis ſeminibus foetae, per maturitatem excidant, manente vero marginali qui eas continuerat.

Naſcitur copioſe circa Veram crucem ſolo pingui et humido.

Tab. 25.

MIMOSA herbacea, procumbens et ſpinoſa; caule quadrangulo, ſiliquis quadrivalvibus [a]).

E *radice* tenui, repente, caules oriuntur plures, hinc inde ſuper terram ſparſi, herbacëi, quadrangulares, et ad angulos ſpinis aduncis armati, alias glabri. *Folia* in his alterno naſcuntur ordine, alata, duobus plerumque vel tribus alarum paribus conſtantia; quorum coſta media ſpinulis etiam horret, alias laevia ſunt, et ſaturate viridia. Alae ſibi mutuo oppoſitae oriuntur; conſtantque pinnulis oblongis ſibi invicem etiam oppoſitis, nervo per longitudinem ſingularum oblique decurrente. E foliorum alis oriuntur pediculi nunc ſinguli, nunc plures, ſeſcunciales et ſpinoſi; ſuſtinentes *flores* elegantiſſimos, in globulos compactos, apicibus aureis, caetera rubros, forma vero congeneribus ſimiles. Hiſce evanidis ſuccedunt *ſiliquae*


a) Mimoſa quadrivalvis *Linn.*

ſiliquae unicapſulares, biunciales, quadrangulares, et quadrivalves; octo ſpinarum ordinibus armatae, quatuor ſcilicet ex angulis ortis, reliquis e mediis valvis. Valvae autem non omnes inter ſe aequales ſunt, ſed binae binis. Namque binae ſunt, quae quatuor angulos formant, reliquosque quaſi comprehendunt, et ſingulae tribus ſpinarum ordinibus praebent originem; haeque quidem, maturo fructu, ad mucronem plerumque cohaerent, diſſilientibus binis aliis valvis, ut effundantur intus contenta *ſemina*, quae angulosa ſunt, et uno ordine diſpoſita.

Frequentiſſima eſt haec planta in ſabuletis circa Veram Crucem.

Nulla in ſchedis Houſtouni adeſt deſcriptio Mimoſae in Tab. 26. exhibitae.

Justicia. 1.



Justicia scorpioides Linn.

Kempfera. 2.




Verbena curassavica Linn.

Buddleia. 3.



Buddlea americana Linn.

Randia. 4.



Randia mitis Linn.

Ammania. 5.



Ammania latifolia Linn.

Vogel sc. Nurnbg.


6.
Cordia geraschanthus Linn.
Gronovia.
7.
Gronovia scandens Linn.
Michelia.
8.
Ricardia.
9.
Richardia scabra Linn.

10.

Martynia.



Martynia annua Linn.

11.

Petrea.



Petrea volubilis Linn.

Fructus vero Tetracerae vide Linn. gen. pl. ed. 1. p. 347.

12.

Lippia.



Lippia americana Linn.


V. sc.


13.
Douglassia.
Volkamerica aculeata Linn.
14.
Guazuma.
Theobroma Guazuma Linn.
15.
Jussievia.
Jatropha herbacea Linn.



Aloe americana arboribus innascens foliis latis membranaceis ad margines spinosis. Houst.

Bromelia bracteata. Swartz Flora Ind. Occid. n8. Tom. 1. p. 583.



Cassia americana tetraphylla Houst. Herb. Amm. 601.
Cassia fruticosa. Mill. dict.



Aster americanus, foliis pinnatis et serratis, floribus aurantiis.

Aster aurantius Linn.

19.



Aster saturejæ foliis conjugatis et pilosis flore luteo. Houst:
Inula saturejaoides Mill. dict.



Chrysanthemum americanum humile Origani. folio flore luteo. Houst. Herb. Amm. 475




Caltha Americana, laciniatis foliis, flore luteo.

Melampodium americanum Linn.


22.



Ricinoides folio subrotundo serrato, fructu parvo conglomerato. Houst.



Mimosa plena Linn. conf. Mill. ic. 182. f. 2.



Mimosa asperata Linn. conf. Mill. ic. 182. f. 3.



Mimosa quadrivalvis
Linn. conf. Mill. ic. 182. f. 1.

